

apte sententia causam perdidero. Et Physicis quidem **sue** Cosmographis , qualem hoc libello personam ego sustineo , nullam de hac differentia rationem debeo. Nam et si illi suorum placitorum argumenta mutuantur ab Astronomis: ea tamen non ita subtiliter, vt Astronomi , ad calculos reuocant: nec adeò sunt perspicaces aut morosi, vt hac leuicula differentia moueantur. Quare causam meam coram Cosmographis obtinui.

Astronomorum verò vulgus et si iure metuo : tamen cum iudicio Artifices præesse par fit, non despero, neque contra illud, victoriam. Ac primum ipsos bene de calculo sperare iubeo. Nam et si interdum grandiuscula est differentia, meminerint tamen numeros excerptos ex locis totius circuli euidentissimis , atque ex concursu omnium inæqualitatum. Nec enim per totum circulum tanta est discordia locorum ex corporibus, & ex Copernico Planetis assignatorum , nec æqualis etiam in omnibus reuolutionibus. Atque ego sic existimo , et si certissimæ essent Prutenicæ, atque verissimè per hanc corporum interpositionem errores isti committerentur: non posse tamen iure ab iaci tam concinnum $\epsilon\pi\chi\epsilon\eta\mu\alpha$, propterea quod error ille in minimis esset. Atqui non tantum incertum est, vtrorum vitio differentia hæc existat: sed contrà magna suspicio & multa argumenta, calculum ipsum & prutenicas tabulas in culpa versari: adeo vt magna coniectura contra me fuisse, si cum numeris Copernici penitus consensisse.

Eorum autem argumentorum hoc primum esto , quod Prutenicus calculus non raro in colligendis Planetarum locis fallitur. Multa quidem restaurauit nobis Copernicus in collapsa motuum scientia: multoque nostrâ, quam patrum memoriam, purior est Astronomia. Veruntamen si rem ipsam penitus inspiciamus, fateri utique cogemur , nos ab illa beata & optabili perfectione haud multò propius abesse, quam ab hodierna vetus abest Astronomia. Longa via est, & variæ ambages ad hanc veritatem. Monstrarunt illam nobis veteres, ingressi sunt maiores nostri, nos illos anteuerimus, & gradu propiori consistimus, sed metam nondum attigimus. Non ego hæc in Astronomiæ contemptum dico : Est aliqua prodire tenus, si non datur ultrà: sed ideo , ne quis temerè grauius quid in hanc discordiam statuat, & dum me petit, & hæc s.